DELLA PASSIONE DI NOSTRO SIGNORE GESÙ CRISTO ORAZIONE LATINA DEL...

Stefano Antonio Morcelli



Schede

10

DELLA PASSIONE

DI

NOSTRO SIGNORE GESÙ CRISTO

ORAZIONE LATINA

DEL CELEBRE

P. STEFANO ANTONIO MORCELLI

DELLA COMPAGNIA DI GESÙ

LETTA

NELLA CATTEDRALE DI RAGUSA

NELL' ANNO 1762.

VENEZIA,

DALLA TIPOGRAFIA DI G. B. MERLO.

MDCCCLIII.

A MONSIGNORE

ILLUSTRISSIMO E REVERENDISSIMO

GIUSEPPE TREVISANATO

PROMOSSO

ALLA SEDE ARCIVESCOVILE

DI UDINE.

Monsig. Ill.mo e Rev.mo

Appena qui la fama diffuse il vostro esaltamento all' Illustre Sede Arcivescovile Friulana, i molti vostri conoscenti ed amici (di cui io certo mi vanto non esser l' ultimo) furon compresi da unanime sentimento di gioja e rammarico insieme; di gioja, perchè vedeansi degnamente rimunerate dall' Augusto Imperatore Nostro, e dal Regnante Sommo Pontefice le esimie qualità dell' animo Vostro; di rammarico pel Vostro allontanamento.

Nella faustissima circostanza del solenne ingresso che farete alla Sede di Udine, seguendo l' impulso dell' animo mio, volli rendervi, Monsignor Illustrissimo e Reverendissimo, un qualche omaggio, ed una prova di quell' affettuoso rispetto che mi lega alla Sacra Vostra Persona: e tanto più pei vincoli di riconoscenza a quella bontà che sempre mi dimo-

straste, compiacendovi anche di esser mio Direttore e guida in mezzo alle amarezze di questa vita.

Oso quindi offrirvi colle stampe un' Orazione del Chiarissimo Padre Morcelli della Compagnia di Gesù; e, confidando che vorrete aggradire l'offerta, due ragioni principali mi spinsero a pubblicarla: La prima perchè trattando questa orazione della Passione e Morte del Nostro Signor Gesù Cristo, recitata in Ragusi fino dall' anno 1762 nell' anniversario di Redenzione, è doppiamente adattato il soggetto alla circostanza, e perchè l' argomento è santo eminentemente in sè stesso, e perchè Voi nell' anniversario del Mistero di Redenzione, in quest' anno celebrerete, come spero, per la prima volta, quale Arcivescovo, le Sacre Funzioni di quel santissimo Giorno. Il secondo motivo si è, perchè

devo ritenere, se mal non m' appongo, inedita questa Orazione, come ne fui assicurato da eruditi bibliografi, e dall'autore della lodatissima Biografia del Morcelli Ferdinando Cavalli che volle favorirmene il manoscritto da lui posseduto a mezzo di Monsignor Jederlinich Vescovo di Ragusi.

Questa Orazione, e perchè inedita, e perchè ricca di bella latinità, comunque scritta dal Morcelli nella primissima sua gioventù (1) *potrà forse destare qualche interesse negli ammiratori delle Opere Morcelliane.*

(1) *Nella Biografia degl' Italiani Illustri del Cav. Emilio De Tipaldo, Vol. x, alle pag.* 102 *e* 118, *riportandosi per intiero la Biografia del Morcelli scritta da Ferdinando Cavalli lo si indica nato nel* 1737, 17 *Gennajo, e morto nel* 1.° *Gennajo* 1821, *d'anni* 83. *Quando dunque il Morcelli recitò l'Orazione in Ragusi nell' anno* 1762 *non avea che anni* 25.

Aggradite, Monsignor Illustrissimo e Reverendissimo, i miei voti sinceri di ogni possibile Vostra prosperità, chè ad un tal fine saranno dirette le mie preghiere; ma Voi nell' atto di portare la benedizione ai Vostri Friulani, non obblierete certo col cuore di benedire a me ed a Venezia.

Venezia 22 *Gennaro* 1853.

ANDREA VALMARANA.

CLARISSIMI

P. STEPHANI ANTONII MORCELLI

S. J.

IN CHRISTI FUNERE

ORATIO

HABITA IN METROPOLITANA RAGUSINA ECCLESIA

FERIA V. HEBDOMADAE MAJORIS

ANNO MDCCLXII.

ORATIO.

Etsi nullum nobis esse praetermittendum tempus videatur, quin et de singularibus beneficiis, quae a Deo in nos profecta sunt et de habenda referendaque gratia, quam quisque debet maximam atque immortalem, toto pectore cogitemus: tamen non id unquam oportere magis arbitror, quam hoc potissimum tempore, quo ad acerbissimum Christi interitum moerore ac lacrymis honestandum, sacris anniversariis institutisque Majorum jure excitamur. Cum enim hodierno die ad maximi beneficii memoriam animi nostri revocantur, tum vero eam repetere sine scelerum nostrorum gravissimorumque criminum recordatione non possumus. Nam Parens ille, ac Deus vitae nostrae tanta in nos omnes benevolentia, tantaque divina charitate fuit, ut quo tempore homines de illius caede crudelissima, eodem ipse de communi omnium salute quam maxime cogitaret. Nihil vero, Cives, hoc tempore grati animi vi-

ro, vestrumque scelerum memoria dolenti antiquius aut sanctius esse debet, quam ut ea, quae revocare jam ac delere non potest, nunc, quatenus licet, salutari quodam dolore a se detestetur: quod vero integrum illi est, summum Dei Immortalis beneficium atque incredibilem divinae liberalitatis beneficentiam officiis omnibus prosequatur. Magnam autem maculam ac non tam lacrymis luendam, quam sanguine, homines susceperunt, qui, cum in illo Parentis omnium carissimi atque amantissimi luctuoso gravique interitu saxa ipsa, multaque inanima sensum aliquem humanitatis, doloremque suum quodammodo praeseferrent, nullum ipsi gemitum, nullam doloris expressam vocem, nullam denique moeroris significationem dederunt. Quam maculam, Auditores, ut nos, aliqua ex parte deleamus, id ipsum, velim vos mecum diligenter consideretis, non dicam quam ingrati, quod ipsum gravissimum est, sed quam impii in Christum homines saepissime extiterunt. Neque enim rebus his cognitis, penitusque perspectis, fieri posse arbitror, quin et eorum tam nefarium ac detestabile scelus multum improbetis et vestram in Christum benevolentiam pietatemque summo studio ac voluntate vehementer in dies augeatis.

Verum qua potius ratione tantum ingrati animi crimen vobis ante oculos ponam, quam eam, qua omnes homines Christus prosequutus est benevolentiam, charitatemque commemorando? Nam profecto certasse ille quodammodo mihi videtur incredibili contentione, ut quorum sceleribus magis in dies violabatur, eos non modo aequiore animo ferret, sed etiam majoribus beneficiis ornaret. Agite enim, Auditores, temporis illius memoriam, repetite ultimam, cum exoptatam jamdiu libertatem, totiusque humani generis Servatorem Virgo illa lectissima in lucem esset editura: nonne ad eam ipsam Urbem, ex qua paullo ante turpissime ejectus fuerat, natalem sibi locum optavit? nimirum, Auditores, ut a quibus ne hospitio quidem, aut tecto acceptus esset, eos ipse in nativitate acciperet. Itaque habuit ille idem et nascendi exordium et benefaciendi. Jam vero quid illud tempus commemorem, cum furebat et bacchabatur Herodes, teterrimi carnifices ad ferrum ac necem vocabantur, domus ac tecta urbis, acervis corporum ac sanguine redundabant, omnium denique infantium puerorum misera crudelique caede Christi omnium Servatoris vita petebatur? Qui tum illius animus, qui amor in omnes, quae voluntas extitit! qui cum tam gravi injuria affectus esset, ea mente ex eorum

telis ereptus voluntarium exilium suscepit, ut se ad majora illis beneficia conferenda reservaret. Nam quis est, quaeso, qui nesciat, quot ille deinde ac quanta, Judaeorum potissimum causa, mala susceperit, quos labores pertulerit, quae pericula subierit, quantas calamitates ab eorum cervicibus propulsaverit! Nec vero si nefaria in illum consilia iterum inierunt, si ejus vitae insidiati sunt, si quotidianis conviciis, si gravissimis contumeliis, si ignominiis omnibus appetiverunt, idcirco aut poenas ab iis meritas, debitas persequutus est, aut de sua in illos voluntate quidquam remisit. Jussisset modo: tellus illico vindex tantorum scelerum voraginibus suis illos absorbuisset. Imperasset ille: ferae subito e lustris speluncisque erumpentes tantam illam crudelitatem, immanitatemque ultae fuissent. Adnuisset tantum: ignis Coelo emissus, ardentesque faces illam amentium ac furiosorum hominum turbam puncto temporis abrupisset. Verum quì haec, Auditores, cadere in eum possunt, qui discipulos suos haec ipsa meditantes atque intentantes improbavit, cujus erant omnia non modo dicta sed facta plena clementiae, plena mansuetudinis, plena humanitatis; qui denique beneficia sua non benemeritorum terminis, sed amoris sui finibus describebat? Testis est multi-

tudo illa rerum omnium imperita ac rudis, quam et saluberrimis praeceptis erudivit, et sanctissimis exemplis instituit. Testis ingens ac poene innumerabilis coecorum, claudorum, aegrotorum numerus, quibus omnibus incolumitatem, salutemque dedit. Testes illi egentissimorum hominum greges atque agmina, quorum saepe diuturnam integramque famem conquisitissimis epulis saturavit. Testis denique Judaea, urbesque omnes atque oppida, quae ille non tam vestigiis quam largitionibus, non tam passibus quam beneficiis peragravit. Te vero, Jerosolyma, quanta semper benevolentia, quantaque charitate est prosequutus! Nonne etiam futuram cladem, tibique impendentem calamitatem animo prospiciens, lacrymas prae dolore tenere non potuit? cui tamen cum esses infensissima, non eum tanto tu odio prosequebare, quanto ille te amore complectebatur. Ac ille quidem charissimam sibi Matrem e lectissimis tuis virginibus, Templique custodibus legerat; tu jam illi Crucem atque patibulum, tamquam damnato servo figebas. Ille e tuis oppidis Discipulos sibi, divinarumque legum praecones quasi filios adoptarat: tu lictores improbissimos, immanissimosque carnifices ad ejus cruciatum caedemque instruebas. Ille denique a morte ad vitam atque ab exitio ad salu-

tem revocare te properabat; tu jam illum ad necem crudelissimam, suppliciumque designabas.

Atque hìc, Auditores, mirari illud vehementer soleo, cum tanta in omnes non modo humanitas, sed etiam liberalitas, benignitasque Christi extitisset, tanto tamen in eum odio poene omnes flagrasse. Si enim illa Christi lenitas atque patientia, si pulcherrima illa species atque oris forma, si illa sermonis atque morum eximia suavitas nihil omnino eorum feritatem furoremque deliniebat; beneficia certe, quae vel belluae sentiunt, plurimum mitigare debebant. Sed jam rivulos consectari omittamus, cum fluminum capita fontesque nobis tam late pateant. Quis enim divinam illam Christi in homines charitatem dicendo explicare possit, cum jam moriturus in ea de qua nuper mentio facta est, mirabili supremaque coena suum corpus, suum sanguinem, seipsum totum, novo quodam atque incredibili modo, discipulis omnibus impertitus est, ut ad omnem posteritatem mirifica illa divinitatis suae communicatio propagaretur? Nam revocate, Auditores, in memoriam, quid hoc potissimum tempore Judaei moliebantur, quo armati satellites, lictoresque mittebantur, quo dux omnium nefarius atque impius, furens audacia, scelus anhelans tendebat. Vita mor-

talibus, lux, salus a Christo arcanis mysteriis afferebatur: illi mortem crudelissimam nefaria proditione afferebant. Divinis atque immortalibus epulis mensa a Christo extruebatur; illi amarissimae potionis pocula praeparabant. Se ipsum Christus tractandum omnibus, vescendum tradebat: illi jam ejus cruciatu pascere oculos atque animum exsaturare concupiscebant. Qua vero lenitate, quo amore, qua mansuetudine suum Christus discipulum ad se cum militibus ut osculo proderet, venientem accepit! O novum inauditumque amoris ardorem! O incredibilem hominum servandorum cupiditatem! Quis hoc factum usque ad nostram memoriam vel audivit, vel legit? Aut a quo id fieri unquam homines existimarunt? Convivam nuper acceperat, quem non modo desertorem salutis suae, sed etiam proditorem esse videbat; nunc eum ipsum per simulationem amicitiae nefarie prodentem amicum appellat, et quem illico ad mortem rapi atque omni supplicio excruciari par erat, et complectitur amicissime et suavissime osculatur. Nihil ne vero te, Juda, noctis illius tenebrae, nihil scelerum tantorum conscientia, nihil hujus facinoris immanitas, nihil denique potestatis vis, nihil auditae vaticinationes, nihil acceptorum beneficiorum memoria,

nihil aspectus ille Christi aut verba moverunt? Patere illi tua consilia non sentiebas? constrictum ejus, quem prodebas, conscientia teneri scelus tuum ignorabas? Quid cum Judaeis jam egisses, qua pactione, quo pretio, quibus conditionibus, quo tandem et quos tecum lictores esses adducturus, haec illum nescire arbitrabas? O effraenatum praecipitemque nefarii proditoris furorem! O omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, immanissimum ac foedissimum non hominem sed monstrum atque portentum!

Verum me revocant singulae a Christo res hodierno die gestae, quarum nulla profecto est, in qua non ejus charitas singularis eluceat. Quaeritur a lictoribus et se ipsum indicat: inventus iterum quaeritur et iterum quaerentes se monet, afflictos erigit, incitat trepidantes, sanat vulneratos. Quid plura? Catenae illi quasi latroni injiciuntur, discipulos a sui defensione deterret, sicariorum telis ac satellitum armis stipatur, nihil omnino commovetur, ad forum atque tribunal summa cum ignominia rapitur, dementes ultro sequitur ac poene praecedit. Atqui te, Christe, et convicia plurima, gravissimaeque contumeliae et omnes cruciatus, atque supplicia manent crudelissima. Innocentissimus es, te testes impudentissimi

accusabunt; sanctissimus es, te iniquissimi judices condemnabunt; mitissimus es, tibi lictores improbissimi insultabunt; sapientissimus es, te nequissimi milites fatuum amentemque appellabunt. Quid vero Jerosolymae forum, quid vias omnes, quid praetoris aedes, quid vicinum clivum praetermitto? Hic te immanissimi homines nulla virginalis verecundiae habita ratione spoliatum atque nudatum virgis poene ad necem caedent; Sanguine tuo respersum forum, viaeque madebunt. Illic te purpura indutum, atque juncea ex acutissimis spinis corona capiti imposita Regem per ludum, jocumque salutabunt: ebriorum vocibus, scurrarum conviciis, impudentissimorum hominum maledictis atrium omne personabit. Hic vitam existimationemque tuam cum facinorosi latronis impuro contaminatoque spiritu praetor comparabit, salutem illius tuae anteponendam omnibus sententiis Judaei apertissime pronunciabunt. Illic idem te praetor virgis caesum, vulneribus tuis cruentatum nullam jam hominis speciem retinentem populo ad commiserationem excitandam ostendet, omnes te una voce in Crucem agendum esse, vociferabuntur. Hic te immani Cruce oneratum, catenis onustum, stipatum latronibus ad necem rapi Judaei omnes videbunt, mortem tibi, suppliciumque deberi

clamabunt; illic te corporis laceratione atque omnibus tormentis excruciatum ac poene confectum in Crucem denique tollent, vulgus tibi ac multitudo flagitiosorum militum dira omnia precabuntur. Quam vero ob causam hanc tantam, tamque gravem malorum molem subibis? An ut iis in Coelo cum bonis aliquando societas sit, qui sanctissimas religiones stupris atque flagitiis, sanctissimos viros ferro atque armis violabunt? An ut eos aeternis suppliciis liberes, qui viros innocentissimos, legumque tuarum praecones vinculis, verberibus, cruciatu omni necabunt? An ut illis aditum in Coelum patefacias, qui vestigiis impressos tuis ad te deserendum corruptelarum illecebris incitabunt? An denique ut ii tecum beati aevo sempiterno frui possint, qui te non modo omni otio ac voluptate, sed luce ipsa, vitaque privabunt? Dummodo, inquit, meis laboribus, periculis, sanguine salus omnibus pariatur, tantas ego acerbitates, tantosque cruciatus non modo feram patienter, sed etiam ultro exposcam. Valeant inimici mei, sint florentes, sint beati, quoquo tandem meriti modo de me erunt, hac vita, hac libertate, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, jam nunc perfruantur. Ego jam cedam, ego jam mortem pro eorum salute libenter

oppetam. Quod si tantos labores multorum causa frustra susceperim, malo eorum erga me voluntatem desiderari, quam meam illis opem defuisse. Quaenam, Auditores, huic tantae charitati accessio, aut quid cogitari majus ac peti ab homine jam posse videtur? dedit tamen ille hodierno die amoris sui, divinaeque erga nos charitatis alia signa permulta: neque enim ad acerbissimos cruciatus patiendi tantum voluntatem attulit, sed benefaciendi. Itaque eo longiores suos esse cruciatus voluit, quo major in nos voluntas redundaret. Quae sane singula si prosequi oratione vellem, dies me profecto deficeret. Illa tamen, quae in Cruce actus extrema gessit, silentio praetermittere non possum. Pendebat in Cruce manibus pedibusque confixis Parens ac Deus salutis nostrae, libertatis Vindex, orbis terrarum Restitutor, humani generis Conservator, medius ipse latronum patibulis circumvallatus erat, hinc Scribarum ac Phariseorum conviciis, illinc infensissimae multitudinis contumeliis appetebatur; milites procacissimi, impudentissimique injuriis omnibus, maledictisque lacessebant. Inter haec vero ludibria atque inter hos cruciatus quae vox ejus audiebatur? — Sitio — Quae inquam vox audiebatur? — Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. —

Quis verborum istorum, quaeso, sensus est, quid istae voces, clamoresque significant? Cruci affixus est, et de potu laborat? Vix animum ducit, et sitim perferre non potest? De morte certissimus est, et vitam sustentare desiderat? Non ille quidem se, Auditores, sed nos omnes conservandi desiderio, quasi siti ardentissima flagrat. Idcirco etiam carnificum elevat scelus, idcirco hostibus veniam implorat, idcirco iratum inimicis Patrem prece atque obsecratione placat, idcirco denique consortem mortis latronem, ibique ad ejus ignominiam collocatum non modo venia, sed etiam Coelo atque immortalitate dignatur. Magnum sane est inimicum non odisse, multo majus diligere; quid ad salutem reducere, periculis liberare, maximis beneficiis complecti? Haec nimirum, Auditores, est vere divina charitas, sed digna etiam christiano homine, digna nostrum omnium imitatione virtus, haec institutio, quam nobis potissimum Christus et exemplis commendavit et praeceptis, ut injurias omnes libenti animo remittamus. Ille servis pepercit, nos fratribus non ignoscemus? Ille hostes suos beneficiis ornavit, nos necessariorum poenas persequemur? Ille omnium mortalium scelera suo cruore delevit, nos acceptarum injuriarum memoriam repetemus? Id vero,

Auditores, id ejus tantae tamque singulari in nos charitati tribuamus, ut cum nullum pro nostrà salute periculum, nullum laborem, nullum cruciatum ille recusarit, omnia nos ejus caussa inimicis nostris libenter condonemus. Id nos, si tot divinorum atque immortalium beneficiorum vinculis obstricti, omni studio atque ope non praestiterimus, ingrati certe animi notam, crimenque minime effugiamus.
